



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Svmmvla Caietani

Cajetan, Thomas

Antverpiae, 1575

Peccatum iacta[n]tiæ, sex circumstantijs quale sit, agnosci potest.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41716**

syna) facit ex intentione non seruiendi Deo, sed ob gloriam humanam, &c. hypocrisis peccatum incurrit formaliter, implicitè tamen: quia facit opus significans intentionem seruiendi Deo, quæ in ipso non est, &c. intendit reputari elemosynarius vel deuotus, &c. Unde conuincitur quòd intendit simulare intentionem rectam quæ non est in eo, quantumcunque explicitè non intenderet simulare, sed gloriam ex opere illo acquirere humanam: redit enim hypocrisis actus in naturam suæ formæ ex tot concurrentibus. Unde Matth. vi. hypocrisis hos appellat. Quum facis elemosynam, noli tuba canere ante te, sicut faciunt hypocritæ.

*Peccatum iactantiæ, sex circumstantijs quale sit, agnosci potest.*

Iactantia ( qua quis verbo plus de se, quàm sit, aut apparet eleuando dicit) sex habet capita, ex quibus discerni quantum peccatum sit, potest. Primum est mendacium: est enim species mendacii. Et hic discerne, si interuenit iactando mendacium perniciosum, aut officiosum, aut iocosum. Secundum inclusa laus: non enim iactator purè narrat: sed tanquam laudans narrat. Et similiter hic discernere oportet si laus est perniciosa, officiosa, aut iocosa. Tertium est, arrogantia, quando est illius iactantiæ efficiens causa. Et hic oportet discernere si est perniciosa. Quartum est, inanis gloria, propter quam quis se iactat. Et hic oportet attendere si ponitur in ea finis vltimus. Quintum est, lucrum propter quod quis quandoque se iactat. Et hic oportet inspicere si est in damnum proximi. Sextum est, vanitas ex qua multi se iactant, & hoc constat esse veniale.

Transio autem hæc sub breuitate, ne repetantur quæ de mendacio, arrogantia, & inani gloria in lo-

eis propriis dicuntur. Laus quoque pernicioſa ſicut aduſatio, & inanis gloria diſcernitur, ſi ſcilicet laudatur ſeu approbatur aliquid cōtra Deū aut proximū: vt quodcunq; peccatum mortale. Ex his enim habes, quòd niſi pernicioſa ſit iactantia, ex intentione aut materia contra Deum aut proximum, venialis eſt, & frequens humani generis labes.

*Idololatriæ crimen pluſquàm mortale dicitur.*

**I**dololatria (quia ſcilicet alteri quàm Deo, diuinus cultus exhibetur) peccatum eſt mortaliffimum: quia quantum in ſe eſt, æquiparat creaturam creatori.

**I**eunii Eccleſiaſtici omiſſio multipūci eget conſideratione, vt ſanè iudicet. Et ad quatuor capita cuncta reduci poſſunt. Primum eſt quidem de neceſſitate ieiunii. Secundum, qui ſunt dies ieiunii. Tertium, qui tenentur ad ieiunium. Quartum, quali vinculo adſtringamur ad ieiunium.

*Ieiunij neceſſitas tria includit neceſſaria.*

**Q**uò ad primum, de neceſſitate ieiunii, ſunt tria: ſcilicet qualitas ciborum, hora competens, & vnica comeſtio. Exigit quippe omne Eccleſiæ ieiunium abſtinentiam ab eſu carniū. Sed inter quadrageſimam & alia ieiunia hoc intereſt, quòd quadrageſima requirit etiam abſtinentiam ab ouis & lacticiis: in aliis autem ieiuniis poteſt quiſque vti ouis, & lacticiis vbi conſuetudo eſt: vbi autem non eſt conſuetudo, non licet. Quòd ſi alicubi in quadrageſima conſuetum ſit vti butyro, excuſantur: ex quo tanto tempore Prælati ſciunt & non reprehendunt. Moram conuenientem ad comedendum intantum exigit ieiunium, vt ab hora nomen acceperit: vt patet